

P R Æ F A T I O .

ubivis Exemplis & Rationibus; talibus quicquid fit, quis id meritò culpaverit? Tali ergo viatico Pugillum hunc Onomastici in manus adolescentulorum jam serere studuimus, ut satis faceremus Nominariis & Calculatoribus nostris, quos D. Hieronymus vocat. Tibi verò, *Dulcissime* JOHANNES DAUTH, Libellum hunc inscribimus, primùm propter Magnifici Parentis tui, Preciolæq; Familiæ totius in me studiosam voluntatem ac toties declaratam propensionem; quam nisi gratitudinis quoquam indicio tester aut augeam, impius in illum, improbus in me sim. Indoles quoq; tua magnum argumentum est, ut hoc munusculum tibi dedicem; quam jamdiu conspicuam, tum proprio motu, tum tot insignibus exemplis